

DISPUTATIO ETHICA  
DE  
DISCRIMINE IN-  
CONTINENTIS ET  
INTEMPERANTIS

QUAM AVSPICIIS SUMMI NUMINIS

PRÆSIDE

*Clarissimo & Excellentissimo Viro*  
DN. HENRICO IVLIO Scheurl/  
Moralium in inclyta Iulia Professore cele-  
berrimo, Collegij Philosophici Seniore,  
Dn. Præceptore & Patrono ma-  
ximè venerando

*Publicè disceptandam proponit*

CHRISTOPHORVS Cordesß  
Auth. & Resp.



HELMSTADI,

Coll. diss. A Typis HENNINGI MULLERI,

102, 43

clō Iō c LI.

*J. ultima*

*a. CII. 43.*

ESPVATIO ETHICA

DE

DISCRETIONE

COMPLEMENTIS ET

INSTRUMENTIS

CHRISTOPHORI SYMMONII

LEIPZIG

Classico & Librario

JOHANNES WILHELMUS

Procurator

Dr. Theophrastus

Dr. Philosophus

1678

Papae dissertatione

CHRISTOPHORI SYMMONII

1678



HELMSTADT

Typo Henningi

1678



CVM DEO:  
DISSERTATIO  
DE  
DISCRIMINE INCONTI-  
NENTIS ET INTEMPERANTIS.

THESIS I.

**N**on leve incommodum corporis volu-  
ptates parere, sed maximorum malorum ir-  
ritamenta esse controversum fortè & obscu-  
rum sit nemini, cum sapientissimorum vi-  
rorum monumenta & experientia in eadem  
re inculcanda amicè conspirent, ut propte-  
rea cum Seneca *nullam servitutem voluptuariâ turpiorem ju-* ep. 47.  
*dicemus. Umbella quidem illa boni, quam præ se fert &*  
*quantivis precij videtur ijs quorum corpora in sagina, animi Sen. ep. 38.*  
*in macie & veterno sunt,* (ut iterum verbis Romanorum sa-  
pientissimi utamur) aurâ est fugacior ipsique corpori in-  
teritus pararia & animi operationibus notabili impedi-  
mento.

II. Audiamus de eadem re differentem Archyta[m]  
Tarentinum, cujus verba Tullius recitat in libello suo de  
senectute, quæ juvat nunc hîc apponere: *Nullam capita-*  
*liorem pestem,* (sunt verba Ciceronis) *quàm corporis voluptatem*  
*hominibus dicebat à natura datam: cujus voluptatis avida libi-*  
*dines, temere & effrenatè ad potiundum incitarentur. Hinc*  
*patria proditiones, hinc Rerum publ. everfiones, hinc cum hosti-*  
*bus clandestina colloquia nasci dicebat: nullam deniq. scelerum, nul-*

lum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: supra vero & adulteria & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari nisi voluptate: cumq[ue] homini sive natura sive quis Deus nihil mente prestabilius dedisset, huius divino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem: nec enim libidine dominante temperantia locum esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere.

III. Nec minus lectu notatuque digna sunt verba quæ leguntur apud Philonem lib. *Ἐπιπέδου* hunc in modum: Videmus certè, inquit, istos, qui quotidie descendunt in certamen temulentia & hoc agunt solum ut vini plurimum in ventrem ingerant, symbola conferre tanquam in aliquid utile, multari tamen rebus omnibus, pecuniis, corpore, anima, nam huiusmodi collationibus & rem familiarem minuunt & corporis vires per delicatum victum frangunt atque molliunt atque animas hiberni torrentis in morem immodicis deliciis inundatas demergunt in barathrum.

IV. Quæ cum ita se habeant clarum est, quàm necessarium iuxta ac utile sit omnem voluptatem suspectam habere, ne perniciofa illa & detestabilis Siren, quam per elegantiam *πρόσοποια* Plautus in prologo suæ Trinummi penuriæ matrem fingit, filiæ suæ apud nos aditum conciliet & in miseriæ inevitabilis barathrum deducat. Faciunt hanc in rem aurea illa præcepta quæ de temperantia tradunt Philosophi.

V. Quandoquidem autem nobis in eadem materia occupatis nunc quidem de mediocritate illa, quam circa voluptates servare convenit, ex professo agere propositum non est, sed de exorbitantia ab eadem; abs re tamè fore non putamus, si etiã pauca quædam de virtutibus præmittamus antequam ad propositum accingamur.

VI. Duæ sunt virtutes (liceat nunc vocabulo virtutis

tutis

tūtis tam latè uti) quæ circa moderandas voluptates ver-  
santur, una imperfecta, quam continentiam vocamus,  
perfecta altera, quæ temperantia est, quarum illam primo  
nunc loco ponimus non ad dignitatem ejus habito res-  
pectu, quâ multùm cedit huic, sed quòd sit quædam dispo-  
sitio ad perfectiorem & fundamentum omnium virtutum  
ideòque præcedere debeat.

VII. Denotavit idem etiam præclarissimus quondam  
Philosophus Cebes in scito suo & graphico de omni huma-  
na vita commento, dum virtutes omnes in cacumine collo-  
catas finxit, tolerantiam verò & continentiam in latere  
montis manus conscendentibus porrigentes. Quò pro-  
cul dubio significatur, absque illis ad beatitudinis sedem,  
quam virtutes tenent, perveniri non posse, nisi aditus & fe-  
nestra per hasce aperiatur. Nec dissentit Xenophon  
l. i. memorab. Socr. ita scribens: *Ἄρα γὰρ ἔχει πάντα ἄνδρα  
ἠγασμένον τὴν ἐγκράτεια ἀρετῶν εἶναι κρηπίδα, ταύτην πρῶτον ἐν τῇ  
ψυχῇ κατασκευάσασθαι; τίς γὰρ ἄνευ ταύτης ἢ μάθοι τι ἂν ἀγα-  
θὸν ἢ μελετήσειεν ἀξιολόγως; Nonne quemvis hominem, qui novit  
continentiam virtutis esse fundamentum, hanc primùm in ani-  
mo suo parare decet? Quis enim absq; hac vel rectè boni aliquid  
discat, vel exercitatione consequatur.*

II. Hæc illi nec inutiliter & pulchrè. Nos de con-  
tinentia porro dicimus, quod licet perfecta non sit virtus,  
virtuti tamen quam simillima, cum quòd appetitus per  
eam regatur secundùm rationem. (*Thomas Ethic. 7. lect. 4.  
p. 57. n. 1.*) & homo reddatur bonus, tum quòd versetur et-  
iam inter extrema duo, quorum alterum in excessu, nomi-  
ne quidem caret, est tamen quando quis minùs quàm o-  
portet corporis voluptatibus delectatur, alterum incon-  
tinentia dicitur, de qua infra dicendi locus erit.

IX. Neque verò consentimus continentem eundem, *vide e. 14.*  
nisi *Andron.*

nisi per accidens, esse qui perseverans in opinione, subnixi his rationibus. Primò, continentiam esse bonam & laudabilem incontinentiam verò malam & vituperandam, inconfesso est penes omnes: isto autem pacto illa interdum esset mala, hæc bona: verbi gratia, si quis perseveraret in falsa opinione aut digrederetur à vera. Deinde absurdum sequeretur hoc, quod imprudentia incontinentiæ juncta esset virtus: v.g. si incontinens sit imprudens & per imprudentiam existimet aliquam rem malam esse bonam & per incontinentiam omittat falsam opinionem, omissio hæc pravi videtur esse viritus & probitas.

Acciai.

571. §. 14.

X. Nec 2. Continens est temperans, quod facile constabit, si utriusq; definitionem, quæ ante omnem questionem nota esse debet, uti tradit Arist. 7. met. c. 12. apposuerimus, *Est enim continens (uti eum ex Aristotele, Andronicus Rhodius definit, cap. 4. l. 7. Eth.) qui validis se improbisq; opponit cupiditatibus.* Unde liquet quod in certamine & lucta cupiditatum versetur easque imperio rectæ rationis subigat.

XI. *Temperans verò (uti Eustratius, vel quisquis est auctor, ad Arist. cap. 2. l. 7. Eth. commentatur) à nullis voluptatibus infestatur, sed statim, ubi ratio præcepit, cupiditatem ei habet obsequentem, tranquillussq; est.* Potest enim defini ri, quod servet mediocritatem circa voluptates lubens citra molestiam; ut nunquam eum jucunda moveant, quem admodum eum, qui fortitudinis habitu gaudet, nulla terrent pericula.

XII. Quod si ergo continens & temperans idem esse dicatur, oportet ut uterq; & turpibus & vehementibus exagitetur cupiditatibus, quod cum de temperante enunciare non liceat, uti ex præmissis constat, sequitur eum

euſſem diverſum à continente eſſe, etiã ſi uterque circa idem obiectum occupetur.

XIII. Sed ut obiectum dictorum habituum Paulo Clarius fiat, quid illo denotetur paucis nunc ſubjiciemus. Et quidem voluptates illud conſtituere jam tum aliquo modo liquere poterat ex præcedentibus, verùm non omnes intellectas volumus. Excludimus enim animi voluptates, quòd ab ijs nemo temperantis aut intemperantis nomen fortiatur.

XIV. Deinde etiã in corporis voluptatibus delectum facientes ſtatuimus, non illas, quæ ex odoratu, auditu, viſuè percipiuntur, ſed tantum, quæ guſtum & tactum, maximè vero tactum titillant, huc pertinere. Notanter tactum dicimus, quod ille magis delectet, cum guſtus propriè ſit de ſaporibus judicare.

XV. Cæterum de tactu notamus, eum hinc ſpectari, qui quaſdam corporis partes, eas videlicet, quibus ſexus diſtinguitur & gulam contingit, non item qui totum corpus afficit, qualis eſt frictio, unctio & calefactio corporis. In his enim & ſimilibus nullus eſt vel temperantia vel intemperantia locus.

XVI. Dolores item moderatur temperans, non quidem eodem modo quo fortis: hic enim præſentia rerum terribilium, ille abſentia voluptatum non dolet; Sed ſufficiant hæc breviffimè dicta de bonis illis & laudabilibus habitibus, ut ſtatim ad oppoſita eoruudem tranſire liceat.

XVII. Cum itaque circa voluptates & moleſtias moderandas & continentia & temperantia verſetur & utraque inter exceſſum & defectum ſit poſita, quatuor circa hæc exorbitantia ſpectari poſſunt. Verùm de duabus illis, in defectu quæ peccant, & nomine ferè carent (nifi

alte-

alteram *ἀναισθησίας* seu insensibilitatis nomine appellare velis) quod nullæ aut raræ reperiantur, temporis lucrandi ergo nunc non sumus solliciti, tantum quid sibi velint superabundantiæ illæ voluntatum intemperantia & incontinentia quidque concentum eorum dividat, breviter consideraturi.

XIIX. Quemadmodum verò continens vel est simpliciter talis vel secundum quid, quod supra moneri debebat, ita etiam incontinens se habet. Cum enim ex ijs quæ voluptatem creant, alia sint necessaria, ut alimentum, somnus; alia non necessaria quidem, sed appetibilia, ut honor, divitiæ, lucrum, victoria: in illis qui excedit i. e. ea plus nimio appetit aut eorundem absentiam plus justo dolet, proprie incontinens dicitur, & proprie continens, qui in illis secundum rationem agit, contra qui hæc i. e. non necessaria nimium sequitur incontinens secundum quid seu ab adjectione ejus rei cuius est incontinens, nuncupatur, quemadmodum qui rectum judicium hac in re sequitur continens ejus dicitur, cuius est continens.

XIX. Differunt tamen hæc inter se ita ut proprie incontinens majori vituperatione dignus sit, quam impropre incontinens. Incontinentia quippe simpliciter sic dicta, solet vituperari, quia aut est vitium aut aliqua ex parte vitio propinqua. Incontinentia secundum quid non vituperatur ut vitium, sed solum ut delictum quoddam. *Acciajol. Eth. 7. §. 35.*

XX. Solet hic non immerito quæri quomodo incontinens operetur; sciensné an ignorans? Ad quod respondemus 1. quod habitu seu actu primo peccet, non vero actu secundo seu operatione. 2. quod cognito universali sæpè non percipiat singulare. Sic avarus, i. e. incontinens quoad lucrum, novit quidem hanc universalem:

*Quod*



*Quod suum non est id quovis modo pertineat ad alium, verum  
ligatur hæc propositio per hanc: *lucris odor gratus ex re qua-  
libet*, Andron. l. 7. c. 7.*

XXI. Ratio ergo superatur ab appetitu sensitivo quando ligata est; ligatur & sic somno & affectibus interdum. Nec obstat 1. si dicas, ita scientiam à cupiditate vinci quippe fortius à debiliore, testatur enim hoc sensus & experientia. Nam Resp. scientiam ligatam non esse robustiorem cupiditate: quâ de re plura in ipso disputationis conflictu dicemus. Nec 2. quidquam ponderis habet ea obiectio, quâ dicis incontinentes utique scientiam habere, cum sæpe sententias proferant. Hæc enim verbis tantum dicunt nec tamen quid loquantur, vel intelligunt vel attendunt, planè uti pueri orationes & histriones carmina recitant.

XXII. Hinc est quòd bestia incontinentes nullo modo dici possint, cum incontinentes universalem cognitionem, cui adversatur cupiditas, habeant, quæ nulla est in bestiis, singularium tantum rerum imaginationem apprehensionem & memoriam habentibus.

XXIII. Præterea minus turpem esse iræ quàm cupiditatis incontinentem hisce porbatum imus rationibus 1. quia ira aliquo modo audit rationem estque instar prope-rantis ministræ imperata non satis percipientis. Deinde quia est naturalior quàm cupiditas propterea quia est magis justa: manifestè enim procedit. Deniq; incontinenti circa libidinem magis succensemus, quàm incontinenti circa iram. Possemus adhuc subjicere duas incontinentiæ species, quarum altera temeraria, altera in firma dicitur, item an prudentia cadat in incontinentem, sed quia hæc ad propositum nostrum parum facere videntur supersedemus modò illis ad alia pergentes.

B

XXIV. At-

XXIV. Atque ita se habet incontinentens. Intemperans contra ( ut cum Eustratio loquar ) voluptates adeò vehementer cupit ut reliquis omnibus eas anteponat h. e. parentibus, patria, honestati, legibus ac cæteris ejusmodi, ut vel ex his differentia non exigua, quæ inter incontinentem & intemperantem intercedit, appareat. Verùm ut rem paulò accuratius pertractemus lubet egregia quædam hanc in rem ex Aristotele huc adjicere.

p. 128. v.  
21. ad l. 3.  
c. 11. Eth.

XXV. Scribit ille in libro de virtutibus & vitijs hunc in modum, ἀκολασίας iniқиiens, ἔστι τὸ αἰρεῖσθαι τὰς ἀπολάυσεις τῶν ἡδονῶν, τῶν βλαβερῶν καὶ αἰσχρῶν, καὶ τὸ ὑπολαμβάνειν, εὐδαιμονεῖν μάλιστα τὴς ἐν ταῖς ποιάυταις ἡδοναῖς ὄντας, καὶ τοῖ φιλογέλοιοι ἐῖναι ἐν τοῖς λόγοις καὶ ἐν τοῖς ἔργοις. Intemperantia est perniciosarum turpitudinum voluptatum illecebras sectari, eosque qui his dediti sunt, felices maximè esse putare, risuque & salibus, & facetiis gaudere abundareque, denique cum rebus tum verbis dissolutum esse.

XXVI. De incontinentia porro ibidem ita subjungit: ἀκρασίας δὲ ἐστὶ, τὸ κωλύοντος τῆ λωγισμῶ τὰς ἀπωλάυσεις τῶν ἡδονῶν αἰρεῖσθαι, καὶ τὸ ὑπολαμβάνοντα κρεῖττον εῖναι, μὴ μετασχεῖν μὲν αὐτῶν, μετέχειν δὲ μηδὲν ἧττον. καὶ τὸ οἶεσθαι μὲν δεῖν πράττειν καὶ τὰ καλὰ, καὶ τὰ συμφέροντα, ἀφίστασθαι δὲ αὐτῶν διὰ τὰς ἡδονάς. Incontinentia verò est voluptatum illecebras ratione prohibente & his non potiri nihilominus velle: cumque recta honestaque sunt: esse facienda statuas, ea voluptatis ergo deserere.

XXVII. Hactenus Aristoteles. Vnde insignis nobis inter intemperantem & incontinentem aperitur discrepantia. Differunt enim ut generale & speciale vel ut subalternans & subalternatum latius quippe patet incontinentis quàm intemperantis terminus. Sic licet dicere. *Omne intem-*

*intem-*

*intemperantem esse incontinentem, at falsa est enunciatio: Omnis incontinens est intemperans.*

XXIIX. Præterea intemperans per ignorantiam delinquit, incontinens verò aliquo modo sciens, uti dictum est, unde non ineleganter comparatur urbi optimis legibus quidem instructæ, illis tamen non utente; ille contra similis esse potest civitati legibus nullis excultæ.

XXIX. Tertio differunt diverso objecti sui considerandi modo. Licet enim circa idem objectum videl. voluptates versentur, tamen non eodem modo hoc fit. Intemperans enim quia habet iudicium & rationem corruptam ita, ut quò magis rationem suam sequitur, eo sit nequior, eligit voluptates, nec quidquam melius aut beatius iudicat, quàm quod ab illis proficiscitur.

XXX. Vnde rectè Thomas ad Arist. *Eth. l. 7. Nicom. p. 265. A. C. Lect. 7.* Ille, inquit, *intemperatus dicitur, qui persequitur ex proposito superabundantias, quarit tamen secundum superabundantias h. e. superabundanter cupiendo eas vel etiam quarit eas ex electione propter ipsas & non propter aliquid aliud: habet enim eas quasi finem.* Et Eustratius ad eundem: *Intemperans à p. 295. v. turpibus voluptatibus ducitur ac superatur eligens atq; ipsas esse bonas existimans ipsasq; esse persequendas i. e. captandas atque persequendas putans.*

XXXI. Nec verò incontinens eligit voluptates quia sanam habet rationem iudiciumque incorruptum. Vnde pergit d. l. commentator doctus & acutus. *Incontinens licet scortationem non bonam sed malam esse arbitretur, eam tamen persequitur atq; inquirit invitus & absq; electione, à turpè cupiditate inductus & superatus.*

XXXII. Oritur hinc porro quartum discrimen, quod videl. intemperantem post factum non pæniteat, inconti-

nens autem poenitentiâ ducatur. De intemperante quip-  
pe verum est quod pronunciat Thomas supra citato loco.  
*Quia ei, inquit, immobiliter homo inheret, quod propter se ex  
proposito querit, necesse est ut intemperatus non poeniteat de de-  
lectationibus quas quasivit & ideo non potest sanari à suo vitio  
à quo nullus sanatur nisi per disciplinam, quia virtus & vitium  
in voluntate (Appetitu) est.* Hæc ille barbarè quodam-  
modo sed appositè.

XXXIII. Præterea incontinens passione tantùm ab-  
reptus malum vult, ante eam verò habet bonam electio-  
nem: ast intemperans nunquam potest non agere malum,  
necessitate enim quadam adigitur ad id, cum actionibus  
malis creberrimè repetitis consuetudinem & quasi alteram  
naturam attraxerit sibi. Notatu enim dignissimi sunt gra-  
dus illi quibus ad horribilem illum animi morbum ho-  
mines pervenire solent, quos Isidorus l. 2. de summo bono  
c. 23. describit. *Cogitatio prava (ait) delectationem parit, de-  
lectatio consensum, consensus actionem; actio consuetudinem,  
consuetudo necessitatem; sicq; his vinculis homo implicatus qua-  
dam catena vitiorum tenetur adstrictus, ita ut ab ea liberari  
nequaquam valeat, nisi divina gratia manum jacentis appre-  
hendat.*

XXXIV. Patet deniq; inde quoque quod intem-  
perans fit in curabilis. *Qui enim ita naturâ est comparatus,  
ait Arist. 7. Eth. 7. ut eum non poeniteat, ad sanitatem nun-  
quam revertitur.* Ratio est, quia peccandi consuetudo inde  
nascitur, quæ est altera natura uti dictum. Vnde D. Au-  
gustinus in enchiridio: *peccata, inquit, quantumvis magna  
& horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva esse  
aut nulla creduntur, usq; adeo ut non solum non occultanda, ve-  
rùm etiam predicanda diffamandaq; videantur.*

XXXV.

XXXV. Non tamen simpliciter est incurabilis intemperans sed respectu Incontinentis, qui facilius sanari potest. Neq; enim putandū est quod omnino sanari nequeat, licet difficulter hoc fiat, ita ut propterea cum hydropico & phthifico comparetur, de cujus salute curanda nulla spes superest. Ita enim Arist. *Eth. Nic. l. 7. c. 8.* Ἔστι μὲν, inquit, ἀκόλαστος ὁ ἔμταμελητικός ἐμμένει γὰρ τῇ πρῶται ὁ δὲ ἀκρατὴς μεταμελητικός πᾶς διὸ ἔχ' ὥπην ἠπορήσαμεν, ἔτιώ, καὶ ἔχει, ἀλλ' ὁ μὲν ἀνιχτῶ, ὁ δὲ ἰατῶ ἔυοκε γὰρ ἢ μὲν μοχθηρία, τῶν νοσημάτων ὅιον ὑδέρω καὶ Φθίσει, ἢ δὲ ἀκρασία τοῖς ἐπιληπτικοῖς ἢ μὲν γὰρ συνεχὴς ἢ δὲ ἔσυνεχὴς πονηρία. *Intemperans est non facile suorum factorum pœnitens, perstat enim in consilio suscepto, contraq; incontinens omnis ejusmodi est, ut eum facile pœniteat: non ita se res habet, uti supra dubitationem retulimus: sed hic quidem sanabilis: ille autem insanabilis est. Similis enim est vitiositas aqua inter cutem & rabi: incontinentia autem morbis comitialibus. Illa enim assidua & perpetua est, hæc non est perpetua improbitas.*

XXXVI. Verum adhuc longè clariùs & nobis iudicibus accuratiùs, quid interfit inter incontinentem & intemperantem ostendit Plutarchus in eruditissimo suo libello de virtute morali, cujus verba hæc sunt: *Incontinentiam censent (Philosophi) minus aliquid vitio esse, perfectum autem vitium intemperantiam, in qua & affectus animi pravus est & vitiosa ratio: quorum ille appetitum ad turpia ducit, hæc malè judicando turpibus cupiditatibus assentitur sensumque peccati perdit. At verò incontinentia rectum rationis iudicium servat: sed perturbationibus contra iudicium movetur, majore quàm sit ratio vi præditis. Itaque eo differt ab intemperantia, quod 1. incontinentis vincitur ratio à perturbatione: intemperans ne pugnat quidem 2. ille cupiditates sequi-*

zur, interim iis contradicens, hic eas ducit consentiens 3. hic gaudet suis peccatis, ille agrè fert 4. hic volens ac sponte ad turpia fertur; ille invitus honestatem prodit, ut & in verbis & in factis manifesta eorum appareant discrimina. Hæc ille satis eruditè.

XXXVII. Nec denique quenquam latet longè deteriore esse intemperantem incontinente cum incurabilis ferè majorumque propterea malorum causa fit & autor. Notum enim est illud S. Gregorij, *peccatum quod per pœnitentiam non diluitur mox suo pondere ad aliud trahit.* Et Boëthius l. 4. de consol. philof. profâ quartâ, *si nequitia, inquit, miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam.* Et parum aut remissè cupiens qui turpe agit, deterior est illo qui vehementer cupiens turpe operatur, quemadmodum qui non iratus percutit aliquem longè majori laborat malitiâ atque is qui iratus idem facit. Quid enim talis passione superveniente sibi non sumeret?

XXXIIX. Sed quemadmodum olim sapientissimus ille Scytha Anacharsis, interrogantibus, quomodo quis non fieret ebrietatis amans, respondit, si ante oculos ebriorum turpitudinem positam habeat, ita & nos incontinentium mores, ut fœditas eorum & miseria magis ob oculos versetur, aliquo modo depingemus.

XXXIX. Sunt inquieti & vita eorum molestus doloribusque plena est, quales injusti & malitiosi omnes. Dicit enim Pythagoras apud Stobæum serm. 24. ita: *κακὰ μείζω πάσχει διὰ τῆς συνειδότῃ ὁ ἀδικῶν βασανιζόμενῃ ἢ ὁ τῷ σώματι καὶ ταῖς πληγαῖς μαστιγόμενῃ.* *Vir iniquus plus mali patitur afflictus conscientia, quàm ille qui in corpore castigatur,*

itur,

ur, & flagris ceditur. Et conveniunt in illos illa Plutar-  
chi verba in lib. de Serâ Numinis vindicta : Quemad-  
modum malefici cum ad supplicium educuntur, quisque  
suam effert crucem : sic vitiositas ad singula peccata ex  
se fabricatur singula tormenta: solertissima opifex vitæ  
miserabilis, & in qua præter turpitudinem terrores mul-  
ti, animique motus graves pœnitentia tumultusque  
continentes insint.

XL. Exemplum præbet Catilina, quem Sallustius  
in Conjur. Catilin. c. 5. ita describit : *Iam primùm adolescens  
Catilina, multa nefanda stupra fecerat cum virgine nobili i. e.  
cum sacerdote Vesta & alia hujuscemodi contra jus fasq;. Po-  
stremò captus amore Aurelia Orestilla, cujus præter formam ni-  
hil unquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, ti-  
mens privignum, adultum ætate: pro certo creditur, necato filio  
vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quæ quidem res, mi-  
hi in primis videtur causa fuisse facinoris maturandi. Namq;  
animus impurus, aliis hominibusq; infestus neque vigiliis neque  
quietibus sedari poterat, ita conscientia mentem excitam fati-  
gabat.*

XLI. Talis eorum vita est. Egregiam vero lau-  
dem & spolia ampla reportant, qui mortuis sibi cum Da-  
rio tale monumentum erigi curant: ἡδυνάμην καὶ οἶνον πολὺν *Atb. l. 10.*  
πίνειν καὶ τῆτον φέρειν καλῶς. Et quidem indelibilem ma-  
culam cum miseria æterna conjunctam cuidam Ciliæ  
Comiti inaudita intemperantia inussit, de quo Æneas Syl-  
vius commentario in dicta & facta Alphonsi regis lib. 1.  
num. 19. ita: *Friderico Cilia Comiti, qui ob amorem concubinae  
uxorem interfecit, atque dehinc inter scorta vitam turpissi-  
mam agens, ab hinc anno proximo vita decessit, ait ex amicis-  
simi: annum supra nonagesimum agis, nec minus voluptati ser-  
vis,*

vis, quam si sis adolescens: age jam demum te moriturum scito  
atque de sepulchro cogita: cui Fridericus, istuc, inquit, ago:  
nam sepulchrali marmori hoc epigramma insculpendum statui:  
Hæc mihi porta est ad inferos. Quid illic reperiam nescio, scio  
quæ reliqui. Abundavi bonis omnibus, ex quibus nihil fero  
mecum, nisi quod bibi atque edi, quodque in exhausta voluptas  
exhansit.

XLII. Verum juvet  $\gamma\alpha\sigma\epsilon\mu\acute{\alpha}\rho\gamma\upsilon\varsigma$  illos quod cha-  
rum habent, ament, potent, vivant in extrema miseria  
sibi beati: at alto supercilio inhonestam illam & perni-  
ciosam libidinem corporisque saginam despicient qui a-  
nimi imperio, corporis servitio rectius utuntur, quorum  
exempla sapientissimorum præceptis subnixa nos secuti  
nostræque ipsorum saluti intenti in opere tentabimus po-  
tius quam scimus præclaram de temperantia doctrinam,  
sobriè piè & justè viventes atque expectantes adven-  
tum Domini, cui sit laus & gloria in  
æternum,

F I N I S.



Coll. diss. A. 102, mist. 43